# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# MANIA.

6

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

# MANIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


JOSHUA IRELAND,

ANGLUS.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.


*Ad diem 24 Junii, horâ locoque solitis.*


EDINBURGI:

Excudebant D. Schaw et Filius.

1807.

REVEREND O VIRO,

GULIELMO RAILTON,

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,

OMNI VIRTUTE,

ET

LITERIS HUMANIS,

ORNATO;

NECNON,

JOHANNI HODGSON, DE CARLISLE,

CHIRURGO;

PROPTER BENEFICIA EJUS INNUMERA,

SIBI,

PER ANNOS NONNULLOS,

SUB ILLIUS AUSPICIIS INCUMBENTI,

COLLATA;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS IN ARTE

ÆSCULAPIA

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# MANIA.

Auctore JOSHUA IRELAND.

---

Ex iis malis quibus vita humana obnoxia est, nullum magis flebile quam insanitas. Hæc mentis affectio ab omnibus cæteris malis in hoc differt, quod raro vitæ spatium decurtans, quidquid in vita delectabile abripit. Si cætera mala natura humana superare non valet, saltem ipsa superatur, et mors, quasi doloris terminatio, desideratur. Sed insanitas non solum fruitionem specialem labefacit; rationis functionem delendo, nobilissimas facultates ac privilegia humanitatis

etiam abolet. Heu! his malis nec ingenium nec virtus immunia sunt! Hinc insanitas omnibus cum terrore aspicitur, medicoque studio anxio fit.

> ——To minister to the mind difeas'd,
> Pluck from the memory a rooted sorrow,
> Raze out the written troubles of the brain,
> And with fome sweet oblivious antidote
> Cleanse the stuff'd bosom of that perilous stuff
> Which weighs upon the heart. *Shakspeare.*

Idcirco, secundum hujus claræ Academiæ statutas, de hoc morbo pauca dicere nunc propono.

Homo sentire, cogitare, et agere, natus; inter sensationes quas accipit, simplices ex magis complexis percipere ac distinguere potest. Potest etiam has retinere, reminisci, conjungere, et perpetuo fructu colere. Vult, et per sensus suos mundi natura, potestati quasi, subjicitur. Harum facultatum aberratio, minime abolitio, ut vulgo existimatum, est quæ insanitatem constituit.

Sed hæ facultates omnibus eodem modo non adsunt. Namque homo non est *αυτοματον*,

cujus vitæ rationes, ex impulsis intra seipsum ductis, omnino pendent. Cuicunque cogitanti constabit, quantum causis externis excitantur; et haud raro oriuntur res quibus facultates ejus demum modo subjugantur. Quatenus revera casus, vel fortuna, homini modum exhibere contribuit, nemo ignorat. Hinc characteres variæ diversis imprimuntur, "From the Macedonian to the Swede." Nempe hominibus, situ et opportunitate sic impulsis, facultatem alteram præ alias sæpissime colere solitis.

> "Each nobler aim, repress'd by long control
> "Now sinks at last, or feebly mans the soul."

Hinc quæratur, quo incipit insanitas? Difficillimum vere esset dictu, quo incipit ac desinit. Sed certo, quando alicujus imaginatio tam longe aberrat, quod absentia pro presentibus habet; quando necessitudinum suorum obliviscitur; quando denique se regem, dæmonem, globulum vitreum, vel aliquid æque incongruum concipit; atque secundum has vanas

suppositiones se gerit, talis insanus, puto, recte dicatur: familiaribus maximæ solicitudini, medico curiæ seriæ fiet. Hæc mentis aberrationis species vocabulo *Mania* distinguitur; hoc modoque a celeberrimo Dr CULLEN definita, "Insania universalis *." Huic definitioni interpretes ejus recentiores objecerunt, quod maniaci non omnibus horis æque insaniunt. Hinc verbum FERE adjici voluerunt; et hoc additamentum certe accipiendum, si ad definitionis linguam accurate adhæreremus †.

---

## MORBI HISTORIA.

ETSI mania omnibus regionibus ac tempestatibus communis, in calidis præcipue prævalet. Nonnulli mulieres; plurimi viros; omnes temperamento sanguineo præditos potius ei ob-

* Synopsis. † Stewart, Dissert. Inaug.

noxios esse consentiunt. Ex certo quoque vitæ tempore multum pendere videtur: sic, a Domini HELSHAM testimonio, apparet homines ab triginta ad quadraginta annos natos maxime affici; hæcque observatio a Doctore PINELL confirmata fuit, in documentis scrutandis Bicêtre Parisiis *. Certi, necnon, vitæ habitus eidem haud parum contribuunt: sed de his postea.

Fere aliqua sunt signa hujus morbi accessum indicantia †; auctores duos mentis status notaverunt. De his pauca. Quando quis propter aliquod malum vel damnum diu et indesinenter cogitare incipit, demissus animi, amicos fugit, solitudinem appetat, et frequenter ex imo pectore suspiria effundit; denique his, de die in diem, ita sese habentibus, valetudo prospera afficitur, tunc temporis juste medico haud dijudicatu difficile erit, infelicem, haud laxis passibus, in maniam ruere. In hoc statu, hominum proclivitas ad insaniendum bene a medicis intellecta est; quoniam a celeb. HIPPOCRATIS tem-

* Beddoes Hygeia. Pinell, Trait. d' Insanité.

† Van Helmont, de Idea "Insana."

poribus, usque ad nostra, illorum attentionem non effugit. Medium alterum maniæ ingressus eximie ab Doctore MONRO. Dicit victimas subito hilares fieri, et eos inter sodalitia ingenium majus, ac vivacitatem, quam olim afficere; mentes attamen intius aspectas videri turbatas, et acceleratas cogitationum successiones subire. Rerum novarum avidissimi sunt, et compellati sæpius rident, quare nesciunt. Revera spontis suæ esse non apparent. Attamen nebula cito evanescit; nec longum est, donec infortunis maniæ furiebundæ omnia symptomata exhibeat.* Hanc Doctoris MONRO descriptionem egregiam antiqui auctoris, ARETÆI, observatione confirmatam invenio †.

Nonnunquam signum solum maniæ paroxysmum precedens sensatio molesta est in abdomine, et pulsus aucta frequentia; sed aliquando etiam nulla signa eam prædicant ‡.

Urgente mania, faciei lineamenta ferocia, ef-

* Letter to Dr Beattie.

† Aretæus, cap. 6. p. 31. Περὶ Μανίης.

‡ Pinell, Trait. d' Insanité.

ferata, atque truculenter horrida torquentur *. Fere ardent oculi; sanguine sæpe suffusi sunt; aliquando pulsus, præsertim arteriarum temporalium, velocitate et robore plurimum augetur; Maniacus necnon, noctes insomnis, diesque muscitationibus, transagere observatur. Hæc symptomata nimis vere mentis infelicis statum signant. Cogitationes ejus quasi efferari apparent; saltem impressiones, statum animi sano respondentem, nunc non secum ducunt. Objecta circus quasi inflammantia vident †. In quibusdam ultionis, iræ vel etiam timoris et suspicionis pathemata rapide vicissim maniaci animum huc et illuc impellunt. Nunc qui olim amicitia intime devinctus fuit, vel hujus, e toto insanus obliviscitur, vel ex amicissimo inamicissimus fit, vimque amico inferre ardet. Etiam, nisi coactus, sibi ipsi manus inferret. Aliquando nullius momenti res odium excitant; sic calores quædam, figura, &c. Primo aspectis plurimis maniacis summa audacia inest; nihilominus si

* Beddoes Hygeia, vol. iii.

† Ferriar, Medical Hist. et Reflect. vol. i.

pertinaciter oppositi, summa timore sæpe afficiuntur, usque ad lacrymationis effusionem.

> " Man but a rush against Othello's breast,
> And he retires.——*Shakspeare.*

Sub timore maniaci horrifice distorquetur vultus.

Morbo ingravescente, modestiæ sensus crebro amittitur; ut etiam summæ pristinæ virtutis, fœminæ nunc maxime obscœna effundere audiuntur; pudide ornatæ *, vel etiam modo nudæ, hic et alibi currentes, notæ fuerunt.

Quando mentis aliquid pathema, supervenit mania; nonnunquam per totas hebdomadas vel menses huic insistitur; et si forte pro momento temporis animus divertatur, cito ad ideam solitam redit. Sed etiam hic eorum cogitationes disjunctæ confusæque sunt †.

Porro maniacorum in solidis status quidam adesse apparet, ita ut a stimulis solitis parum afficiuntur. Hinc secretiones et excretiones

* Van Swieten Comment. a Boerhaave, vol. vi. sect. de Mania, and Arnold on Insanity.

† Ferriar, Med. Hist.

omnes parciores redduntur; amplioribus dosibus medicamenta desideruntur*. Sæpe morbos contagiosos expositi maniaci evadunt; et illæsi caloris et frigoris sævissimis vicissitudinibus tentantur. "Vidi," inquit celeb. Baron SWIETEN, "maniacum omnia corporis integumenta lacerasse, et nudum stramini incubuisse, in loco lapidibus strato, dum asperima sæviebat hyems, per plurimas septimanas; quando per octo dies omni cibo abstinuisse, dein oblato quævis ingurgitasse avidissime et fædissime spectaculo proprias fœces alvinas devorasse, licet optimi cibi suppeterent†." Quoque observatum fuit, Maniâ adveniente, ægrotos ex aliis morbis nonnunquam liberatos fuisse. Doctor MEAD, de quâdam fœmina ex ascite liberatâ, sub hujus morbi ingressu mentionem facit ‡, et in medicorum scriptis exempla alia occurrenda sunt.

Hæc sunt phœnomena plerumque in maniacis notabilia; sed in diversis diverse modificantur;

* Darwin, Zoonomia.

† Comment. de Boerhaave.

‡ Mead de Insania.

nempe ex causis e quibus affectio orta fuit. Sæpe melancholiæ conjungitur, quando maniæ symptomata cum mœstitiæ paroxysmis alternantur. Contra, aliquando adest mentis status huic oppositus, et tales insani insanitate quasi amabili frui dicuntur. Tales ab arte HIPPOCRATICA se recipientes, verbis poetæ sæpe exclamarent,

———" Pol, me occidistis, amici
Non servâstis;—cui sic extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error.—*Hor.*

Uti aliis morbis, sic quoque huic remissiones et exacerbationes sunt; et, lunâ sub plenâ, maniaci insaniores fieri nonnunquam observati; hinc vulgo *Lunatici* dicti sunt.

Mania, ut antea dictum, vix unquam e vita tollit. In nonnullis per anni dimidium, in aliis etiam per annos quadraginta morbus mansit. Hydrothorax, vel phthisis pulmonalis, vel epilepsia, morbi sunt e quibus sæpissime maniaci intereunt*.

* Ernest Greding Opera, citat. in Crichton.

## DIAGNOSIS.

Ex mania descriptione jam exhibitâ, hunc ab aliis morbis distinguere non difficile erit. Tamen, quoniam, in mentis aberrationis generibus diversis, impercepte phœnomena in sese transeunt, affectionibus præsertim minus exquisite formatis, de hoc pauca dicere quatenus, melancholiam, delirium, atque phrenitidem spectat, necesse erit.

Mania tam frequenter melancholiæ supervenit, quod nonnullos opinari induxit, hos tantum ejusdem affectionis gradus diversos esse. Inter hos fuit magnus Boerhaavius (nomen a medicis nunquam obliviscendum): nihilominus aliqua sunt, secundum alios auctores, distinctionem specialem indicantia: Mania, uti prius dictum, præcipue in calidis, melancholia in frigidis regionibus prævalent *. Hæc crebro

* In the gloomy month of November, when the English hang and drown themselves.——*Spectator.*

Lorry de Melancholia.

lente insidiatur, exercitatione alleviatur; et temperamento peculiari (inde *melancholico* dicto) præditos plerumque adoritur. Illa contra subito, et haud laxis passibus, paucosque, nisi plethorico seu sanguineo habitu, afficit. Denique, ex nonnullorum observationibus, verisimile est, quod in mania perceptionis facultas præcipue læsa est; sed melancholici, dum recte percipiunt, false dijudicant *.

Quod ad delirium et phrenitem: ab his mania pyrexiæ absentiâ facile discerni potest.

---

## DE CAUSIS.

Rerum cognoscere causas, medicis imprimis necessarium, sine qua morbum curare nec præcavere licet.——*Galen.*

Morborum plurium causæ, sive prædisponentes, occasionales, sive proximæ haud diffi-

* Lock's Essay on the Human Understanding. Ferriar, Med. Hist. aud Reflect.

culter a se invicem distinguuntur. Sic de iis typhum vel febrem intermittentem producentibus, raro dubitandum est; namque hæ extrinsecus, illæ intus, oriuntur. At in mania res non ita sese habent. Hic animo præcipue affecto, et natura ejus non tam clare intellecta, sæpe evenit, quod eadem causæ, quæ mutationi in eo morbidæ ansam præbent, quoque morbum ipsum excitare apparent. Aliquando, verumtamen causarum series afficientium clarius percipiuntur; de talibus nunc dicendum est.

*Causæ prædisponentes.*—Morbi nonnulli, et inter hos mania, alios ante alteros, et homines præcipue sanguine conjunctos quasi, a patre ad filium descendentes, inde hereditarii appellati fuerunt. Vocabulum *hæreditarius* non omnibus placuit; namque (aiunt aliqui) si morbi hæreditarii erant, quare, morbo omni ex symptomatum serie tantum constante, quare, ex parentibus affectis, sub partu non infantès ægrotant? Ex mea, tamen, sententia, solummodo de vocabulo disputatum est. Etenim illi etiam

huic opinioni maxime oppugnantes nequaquam in dubio hæsiverunt, quin alios aliis, alteros diversis morbis potius prædisponi; quam prædispositionem a parentibus suis acceperunt. Omnibus bene notum, faciei lineamenta quædam a majoribus præ nepotes suos sine fine prope servata ac communicata esse; et, ita sese rebus habentibus, si minora et magis invisibilia corporis stamina ad tales leges subjiciuntur, an mirandum est? Opinionem ad hanc confirmandam, medicorum scripta suggerere potuissent, quód quando duo diverso habitu, *e. g.* unus valido, robusto, altra debili, scrophuloso, præditi in matrimonium conjuncti sunt, proles iis nati, nònnulli patrem, alii matrem, non solum in forma externa, sed etiam mentis indolibus, referrentes. Immo absolute infans notus fuit sub partu insanire*. Ab hoc maxime dicere velimus, genus humanum in systemate suo morborum semina sata, habens, usque ab origine constitutum fuisse. Contra ab Indis et gentibus aliis

* Lorry de Melancholia, &c. Part II. cap. iii. p. 234.

rudibus ducta analogia, qui paucis morbis pro ratâ parte subjiciuntur, verisimile est, homines maxime ægrotasse, naturæ simplicitate decedendo *. Multæ sunt causæ quæ huic effectui contribuerint, sic luxus; cœli indoles, intemperantia, multaque alia, quibus homines in societate vitam degentes obnoxii fiunt. Prædispositio morbida ita semel acquisita, a patre ad filium innocuum transmittitur; et labes, iisdem causis adhuc operantibus, "vires acquirit eundo." Vero existere labem hæreditariam, tam bene confirmatum est, quod fusius de ea nunc disserere tæderet. Apud poetam vere—

> ——— From this fatal source
> What woes descend, is never to be sung.—*Armstrong.*

Morborum hæreditariorum generi, mania optime refertur. Homines ita prædispositi, iracundia propter res futiles efferare solent; et, irati, haud facile placabuntur.

* Rush's Inquiry into the State of Medicine amongst the Indians.

Hanc proclivitatem artes vel studia quædam plurimum augescunt, vel etiam creant. Doctore PINELL observatum fuit, in Galliâ insanientium plurimos inter sacerdotes, sculptores, pictores, poetas, juris consultos, &c. repertos esse. Atque mihi persuasum est, idem in aliis regionibus a medicis observatum fuisse. Horum maniacorum imaginatio antea exercita et exculta, cæteris animi facultatibus fere neglectis, tandem eum statum inducere contribuit, qui maniæ ingressui faveat; tales vanas expectationes sæpe formantes, præterea morbi hujus causis excitantibus, valde patent.

Alia sunt etiam maniæ prædisponentia, et primo cœli indoles; namque, ut antea dictum, calidis regionibus homines maxime insaniunt. In hoc ab aliis morbis haud differt. Etenim ex medicorum observationibus constat, quod eorum nonnulli, sub cœlo quovis, majorem quam sub aliis cladem edunt. Sub calidis, febres; frigidis, phlegmasiæ diffusius sese disseminant.

*Causæ excitantes.*—Corporis et animi genio

rite perpensis, haud mirificum est, causas insanitatem excitantes, tam diversas atque multiplicatas esse; quoniam illius æque ac hujus affectiones ad morbum hunc excitandum valent.

In omni ævo, et sub unoquoque cœlo, effrænata pathemata, valide et crebro excitata, dirissimos effectus hominibus produxerunt. Neque sine causâ philosophi antiqui nos direxerunt eorum vires cohibere. Haud raro clades dirissimas et inimicitias nunquam obliviscendas inducere notæ fuere. Sed dum horum quædam aliis tot mala perduxerunt, altera, fortasse ipsis hominibus ab iis affectis, non minus nocuerunt. Pathemata, gaudium; mœror, terror, et similia, victimas haud raro e vitâ sustulerunt*, et minus raro fixam mentis aberrationem induxerunt. Revera affectiones hæ tam crebro maniæ originem præbent, uti nonnulli auctores secundum has diversas morbi species nominavere†.

Amor pathema complexum est: ex validissimis est, quibus hominum animi impelluntur.

* Livy, lib. vi.

† Arnold on Insanity.

Imaginatio hic in splendidissimis amatam coloribus sibi pingit; hinc cunctæ facultates in actionem excitantur; vultui et oculis ejus splendentibus, quasi suspensus amator hæret. Hinc, si forte tandem spe orbatur, improviso proclivitas maniæ animo ejus inducitur*.

Simili modo, quod ab aliis spes subito frustrata, huic morbo ansam præbuit. Quot mercatores, qui totas suas divitias ventis vel fluctibus inviti tradiderunt; quot honores appetentes, quibus fortuna numquam favebat; quot naturæ studiosi, *longitudinem* inaniter indagantes, nosocomiorum obscurorum penetralia pervagantur!

---

* Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus? cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lachrymas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori:
Ne quid inexpertum, frustra moritura, relinquat.

*Virgil*, *Æneid*, lib. iv.

But there are passions grateful to the breast,
And yet no friends to life. *Armstrong.*

E gaudio ipso quovis haud insperato, nimis vivide et subito excitato, multi insanierunt. Hujus exemplum notabile a nostro celeb. Professore Doctore Gregorio enarratur *. Cum aliquæ res secundæ, minime expectatæ, familiæ cuidam, ex fœminis constanti, subito communicata erant, earum omnes e vestigio, vel cito post, vecordes fiebant. Vere nihil usitatius est, quam eos qui voti subito compotes fiunt, insanire. Hanc tot hominum, sub illâ fraude, *South Sea Scheme* dicta, insanientium rationem reddidit Doctor Mead †.

His addi possunt multorum aliorum pathematum vires, uti maniam excitantia; sed satis cuique notæ.

Lugubre est, homines literis maxime deditos ad animi aberrationes valde obnoxios esse. Attamen nihil certius, quam horum permultos

* Audi prælectiones ejus.
† Mead de Insania.

hoc modo affectos fuisse. Pro exemplis sunt ingenios. TASSO *, BENEVENUTO CILINI, multique alii. Hoc modo saltem intensi studii hi effectus explicentur. Ex intima animi et corporis connexione, hujus facultates, nisi illius actione comitatæ, vix exercentur. Hinc, mente nimis intense occupatâ, sensorium commune, quod ad vasa sua, actione auctâ, fungi necesse habet; hujus continuatione fatigatur; et tandem, hujus repetitione debilitata, spontis suæ non amplius est. Sic ingenios. TISSOT: "Quiconque a pense fortement une fois dans sa vie, a fait certe experience sur soi-même, et il n' y a point d' homme de lettres, qui ne soit sorti plusieurs fois de son cabinet avec un violent mal de tête, et beaucoup de chaleur dans cette partie, ce qui depend de l' etat de fitigue et d'echauffement dans lequel la möelle du cerveau se trouve †."

Inter has omnes caùsas connexio facile percipietur. Ex alicujus pergratæ ideæ continua

* Hoole's Life of Tasso.

† Sur la Sante de Gens des Lettres, p. 145.

perpensione ea quasi indelebilis fit; inde cunctas alias labefacit: associatio communis deletur, atque nova et prava locum obtinet. Namque,

> " ——— In the countless chambers of the brain
> Our thoughts are link'd by many a hidden chain:
> Awake but one, and, lo! what myriads rise,
> Each stamps its image as the other flies."

Hoc in loco, lunæ effectus ad maniam producendam, nos notare oporteret. Hæc opinio inter medicos multum agitatur, et etiam inter celeberrimos nondum convenit*. Ita sese rebus habentibus, "non nostrum est tantos componere lites." Haud dubitari potest quin mania, uti luna orbes implet, aliquando exacerbationes accipit; sed necne aliam præter temporis connexionem habent, minime decernam.

Mania quoque aliquando profluviorum solitorum suppressiones excipit: hujus exemplum notabile a LEUTAUD enarratur†. Nonnulla me-

* Mead de Insania.
† Synopsis Universæ Medicinæ.

dicamenta narcotica, uti opium, datura stramonia, &c. nimietate exhibita maniam perduxerunt. Alkoholis vel vini abusu; necnon ab aliis morbis insania inducta fuit; modo syphilis *, modo typhus †, febris puerperarum ‡, &c. ei ansam præbuit.

Denique causæ aliquæ, corpore præsertim orientes, nunc non prætereundæ sunt. Quoniam encephalon primum sensationis ac cogitationis organum est, et ex hoc integro pendet harum justa functio, constat, quidquid illud afficiat, has quoque labefaciet §. Scimus, revera, cerebri concussionem vel compressionem menti frequentissime, injuriam facere. Simili modo, forsan, agit compressio ex tumoribus et aliis similibus; præterquam, his lentiore gradu progredientibus, eorum phœnomena aliquantum ab hoc mutantur.

Affectiones circa encephalon inventæ permultæ fuerunt. Insanientium post mortem

* Bell on Lues Venerea, vol. ii.

† Ferriar, Med. Hist. and Reflect.

‡ Denman's Introduction to Midwifery, vol. ii.

§ Bree on Respiration.

multi ossis spiculi inter crania aspecti; sæpe dura mater ad hoc hærens; aqua inter duram matrem et cranium; polypi intra sinum longitudinalem; pia mater densior, crassior facta; cerebri et cerebelli textura maxime mutata, et multis partibus suppurata; corpora quasi glandularia in plexu choroideo; aqua in ventriculis; glandula penealis nonnunquam morbida facta; multaque alia momenti inferioris per hoc organum sparsa apparuerunt. Nihilominus confitendum est, horum multa intra crania aspecta fuisse, maniâ haud productâ.

## CAUSA PROXIMA.

Quoniam maniacis in encephalis obstructio haud semper adfuit, hæc morbi causa proxima non habenda est. De maniæ causâ proximâ, ea opinio maxime consentanea mihi videtur, quæ

eam depravatæ sensorii communis, vel ejus vasorum, actioni ascribit. Ex quo, tamen, hæc actio morbida constat, omnino ignoramus. Patet materiæ vitalis actiones sub diversis diverse modificari posse; hinc nonnulli existimaverunt, sese sibi invicem conferendo, harum natura intelligeretur. Delirium affectio est, quæ maniam maxime refert. Hunc morbum comitari sanguinis circulatio, per caput aucta, frequentissime observata est: hinc postuletur, an sanguinis circulatio, intra caput aucta, ad morbum producendum ipse sufficiat, necne? Leviter re pensâ, sufficere existimaretur. Sed non, ex his apparet. Si circulationis vis sola, hoc modo aucta, ad dilirium inducendum sufficeret, hoc adesse debet ubicunque illa adsit. Tamen non ita sese res habent. Etenim quivis sanguinem ex diversis exercitationibus, &c. ad caput suum præter solitum transmissum habeat, arteriis temperalibus 120 temporis minuto micantibus; tamen nullum delirium adsit, sed morbus alter. Hinc quoddam aliud delirium inducere quoque desideratur. Delirii etiam

causa proxima vasorum cerebralium cuidam pravæ actione referenda erit. Rebus ita constitutis, haud mirandum est, parum valeamus explicare ex quo hæc prava actio in *mania* constat, etenim patet non solum velocitate, sed etiam genere, vasorum actiones modificentur. Utcunque factum generale hoc nunc enotâsse sufficiat.

---

## PROGNOSIS.

Morbus, de quo dicimus, raro naturæ vel artis viribus concedit. Nostram opinionem formando, quod ad ejus eventum minime prætereundum est, victimæ prædispositio hæreditaria adsit, necne. Si hæc infauste adsit, vix speremus morbum unquam omnino curari; si ab cerebri injuriis ductus, raro arti concedit; et, ut bene observavit Doctor Monro, studiosissimorum mania victu difficillima est*. Maniaci ita

* Letter to Dr Beattie.

stantes, fortasse lucidis intervallis fruantur, et hæc in longum protrahantur, tamen, his non obstantibus, morbus usque recurret. Quæ fauste promittunt, ea sunt. Si æger somno reficiatur, tamen, maniæ paroxysmo abeunte, hæbetudine et lassitudine afficitur: secundum hæc, observavit Doctor FERRIAR, intervallum lucidum fere magis minusve protrahi*; si eruptiones erythmaticæ, circa capitis verticem seriatim recurrentes, appareant; denique BOERHAAVIUS dicit, se nosse hæmorrhagiam subitaneam †; et alii, febris accessionem maniam aliquando e toto solvisse.

## MEDENDI RATIO.

MANIACUM necesse erit omnibus horis ob oculos retinere. Et quandoquidem sibi ipsi relictus in furorem præceps aliquando ruit, qui non nisi post injuriam sibi aut aliis illatam, terminatur, hinc ne limina transiret, caute coerceri

* Med. Hist. and Reflect. † Van Swieten Comment.

debet. Sæpe necesse erit ut manus vinciantur. Si hæc consilio designato parum inserviunt, etiam in cubile maniacus vinciendus erit. Tamen mediis præter solitum violentibus nunquam recurrendum est.

Quod ad methodum inter morbi curationem usurpandam, proxime invenietur.

Medicamenta a diversis auctoribus recensita, permulta sunt; et hoc eventum fuisse etiam a priori existimaremus. Namque, in morbo tam complexo, tractationis indicationes certe vix lucescere expectandæ sunt. Forsan vere apparet; maniam aliquando sponte evanuisse; et si forte quidquid medicamentorum, *sub illo momenti fortunato*, adhibitum fuit, hujus viribus, morbi curatio ascriberetur. Tamen quoniam, tam dirum malum debellare, conamina nulla non tentanda sunt, de iis, quæ a diversis auctoribus laudata fuere, hic loci pauca dicemus.

*De emeticis.*—Sub initio, insanitate plerumque ventriculi læsâ functione comitata; hinc a quibusdam emetica jubentur. Hæc cum antimonii

dosibus nauseaticis præsertim alternata, sæpe prodesse apparuere. Doctor FERRIAR notat, sensationem molestam, quam emetica excitant, sæpe ægri attentionem ad cogitationis continuam seriem reducere videri. Hinc, maniacos ab ineptis et vanis consiliis divertendo, ei multum inservire expertus est. Hoc remedium, viz. tartris antimonii, sub solutionis formâ, præcipue utuntur medici. Non necesse est hic loci dictu quodcunque medicamentorum adhibenda sunt, dosibus amplioribus desiderantur *.

*De catharticis.*—Apud medicos veteres cathartica, præcipue drastica, maniacis propinare fuit. Ex his remediis helleborus niger maxime celebratus fuit: hinc proverbium, "naviget ad Anticyram," *i. e.* ad locum illam herbam producentem. Certe purgativa in maniâ non despicienda; etiamsi recentiores ea, non æque ac veteres, valentia experti sunt. Saltem capitis vasa deplere inserviant, ideoque utilia fiant. Hoc consilio, aliqui, ex hydrargyro preparata,

* Vide Darwin's Zoonomia, Van Swieten, &c.

præsertim submuriatem, cæteris præponunt: continuenda sunt donec gyngyvæ afficiantur. Hoc modo sæpe cum antimonii usu bene alternantur *.

*De sanguinis missione.*—Eodem tempore quo emetica, sæpe usurpata est sanguinis detractio. Sub initio morbi, juvenibus plethoricis, quorum oculi turgescunt ac rubescunt; et qui noctes suas insomnes agunt, venæsectio, quæ emetica anteiret, multum prosit. Sed quatenus urgeri debet venæsectio, minime patet. Quando morbus melancholiæ appropinquat, vel ei conjungitur, quo tonica, ut cinchona, &c. sæpe cum fructu adhibentur, venæsectio noceat †. Apud nonnullos, ex collo sanguis detracta maxime valet.

Ab antiquis quoque ægri ex improviso in frigidario precipitabantur; et aliqui etiam medici recentiores ab hujus usu bona sese tulisse credunt. Capitis lavatio solius aquâ frigida sæpe jubetur, et cum fructu ‡.

* Ferriar, Med. Hist.

† Diseases of London.

‡ Van Swieten Comment.

Narcotica necnon aliquando prosunt. Saltem animum tranquillare aliquantulum inserviant, etsi raro morbum amovent. Ex his remediis, camphoræ et opii usus maxime prævalet *.

His omnibus remediis (singulisque sæpe opus erit) epispasticorum, fonticulorum, vel pilei lutei usus, adjungendus erit, et quoque diæta tenuis.

Talia sunt remedia fere a medicis in hunc morbum commendata. Nonne eorum fructus ex eo principue pendeat, quod subitaneam in corpore vim excitantia, inde idearum pravam seriem interrumpant?

Pariter, ad attentionem concitandam ægri, duros labores sub torvo magistro, rure ut equi, perficere sæpe feliciter coacti fuerunt. Hinc, quoque, in quibusdam nosocomiis regula instituitur, custodibus permittens, ut maniâ captis ictus inferrent †. Certe tamen remedia mitiora prius tentanda.

* Cullen's First Lines.

† I have seen among the rules of a lunatic hospital (inquit Dr Ferriar) one which declared, "that the keeper might beat the patients, provided it were done with discretion, and by the orders of the physician."

Animi tractatio haud minimi momenti erit: hæc plurimum pendebit ex causis quæ morbum induxere. Harum singulas autem speciatim persequi, nobis hoc loco non attinet; namque "hic labor, hoc opus esset;" et medico sagaci ad singulas vices satis patebit. Idcirco tantum de ea quæ omnibus communis, nunc temporis dicemus. Omnium maniacorum animi bene enotari debent; et quæcunque furorem eorum excitare observantur, protinus amovenda sunt. Quidam, sub leni præsertim morbo, peregrinatione longâ multum convaluere; continuâ rerum circumdatarum mutatione eorum attentionem tandem stabilire tendente. Aliis maniacis, ubi furor magna adest, terroris pathema feliciter imprimatur.

What refuge shall we seek? what arms prepare?
Where reason proves too weak
To cope with subtle or impetuous powers;
I would invoke new passions to your aid:
With indignation would extinguish fear
With fear, or generous pity vanquish rage,
And love with pride; and *force to force oppose.*

*Armstrong.*

Si demum feliciter morbus recedet, ne rediatur, convalescentem exhortarem, verbis poetæ,

———— If thou well observe,
The rule of *not too much*, by temperance taught,
In what thou eat'st and drink'st, seeking from thence
Due nourishment, not glutinous delight,
Till many years over thy head return:
So may'st thou live, till, like ripe fruit, thou drop
Into thy mother's lap, or be with ease
Gather'd, not harshly pluck'd, in death mature.

*Milton.*

FINIS.